

essentialis est efficax, omnesq; actiones exercet, & pro ejus diversitate diversimodè agit.

*Sanitas non consistit in essentiali constitutione.* In essentiali constitutione sanitas non consistit. Essentialis enim constitutio, quamdiu vivit homo, est immutabilis; cum essentia rei intendi atq; remitti nō possit, sed habeat sese ut numerus, & ubicunq; est, ibi tota sit: sanitas verò, manente eadem forma substantiali atque essentiâ, mutari potest; idemq; homo, nunc sanus, nunc æger est.

*Sed in accidentali.* Itaq; in accidentali potius constitutione sanitas collocanda est. Hæc enim mutabilis est, & essentiali integra manente, varias mutationes subit, ratione ætatis, victus, aëris ambiētis, atq; aliarum circumstantiarum: atq; hæc mutata, ipsa anima per se eadem & non mutata, in corpore etiam eodem, aliter atq; aliter agit: & hinc oculus senis non tam acutè videt ut oculus juvenis: idem ventriculus modò bene, modò malè coquit. Requiritur quidem, ut homo sanus sit, & suas operationes exercere possit, non solum accidentalis, sed & essentialis constitutio. Nam si homo non esset: sanus aut æger dici non posset, cum non Entis, non sint accidentia, & accidentia sua requirant subjecta, quibus insint. Propterea tamen ex essentiali constitutione sanitas æstimanda non est. Ut homo sit, ex essentiali constitutione habet, quæ tam in ægro, quam in sano reperitur; cum tam homo sit, qui ægrotat, quàm

qui est sanus: sed ex accidentali constitutione, quæ variè mutatur, habet, ut sit sanus vel æger.

Postquam hoc modo causam in *Subje-*vestigavimus, ob quam corpus *ctum sa-* nostrum ad actiones omnes obeundas *nitatis,* aptum esse dicitur: facile etiam subjectū sanitatis inveniri potest. Nam cum actiones tantum partibus viventibus competant: ipsa quoq; sanitas, seu agendi potentia tantum viventibus partibus attribui potest: & quibus nulla agendi, naturalesq; actiones exercendi vis est, iis nec sanitas, nec morbus, nec potentia, nec impotentia agendi adscribi potest.

Ex quibus jam sanitatis definitio exstrui hæc potest. Sanitas est corporis humani eas, quæ secundum *Sanitas quid.* naturam sunt, actiones exercendi potentia, à partium omnium naturali constitutione proveniens.

Etsi vero Galenus, *de diff. morb. c. 2.* *Sanitatem naturalem omnium corporis partium constitutionem; & de differ. sympt. c. 1.* *διάθεσιν καὶ φύσιν ἐνεργείας ποιητικῆν, dispositionem secundum naturam actionum naturalium autorem esse docet: eo tamen fine hoc facit, quod constitutio illa Medici actionibus potius subjecta est, quàm potentia, ut postea, lib. 2. pluribus dicitur, ubi de natura morbi tractabitur. Quem & nos hoc loco & eadem de causa imitati, in ea, quæ adhuc restat, de fine Medicinæ, qui est sanitas, tractatione, potius constitutionem naturalem, quàm potentiam agendi contemplabimur.* *Sanitas definitiones Galenicæ explicata.*

B

Cum